

ferendam, non erit regulatus, erit peccatum: tunc ~~autem~~ appetitus est ir-regulatus; quando infertur vindicta, uel contra eum, qui tale non meretur, quod nascitur quandoque, aut ex odio, aut dum illud, a quo cauatur tristitia, nocuum apparet, quod in ueritate non est, uel quia debitum ordinem in vendicando non tenet, uel terminos iustitiae non seruat, uel finem, quem deberet, non intendit; scilicet, ut fiat ex bono zelo, & non ex odio. Secundum autem quantitatem, tunc Ira mala erit, quando vindicta, uel per defectum, uel per superabundantiam, peccatum non adaequat. Si autem Ira sumitur materialiter, scilicet, prout est accentio sanguinis, circa cor, dupliciter quoque sumi potest, secundum quod dupliciter se habet ad rationis iudicium. Non modo antecedenter, id est praeueniendo iudicium rationis, & tunc passio insurgens potest esse, cum peccato, & sine peccato, prout iudicabitur esse uoluntaria, vel inuoluntaria. Pro qua re est aduentendum, aliquod esse uoluntarium, vel inuoluntarium, stat dupliciter. Primo, uel in se, uel in sua causa, quomodo hoc contingat, dictum est supra, cum de ebrietate loquebamur. Secundo aliquid dicitur uoluntarium, & inuoluntarium, uel directe, uel indirecte: directe quidem, quando uoluntas eligit aliquid faciendum: uel imperat potentijs inferioribus, ut tale, uel tale faciant: indirecte autem; quando potens, & debens potentias inferiores impedit, eas non impedit. His statibus, dico: quando passio insurgit ex ferueiente sanguine circa cor, si talis turbationis impetus totaliter iudicium rationis offuscat, ut iratus, quid dicat, aut faciat, non percipiat, si est uoluntaria, id est a voluntate excitata, quidquid ex ea malo prouenit, ei imputatur, quia dicitur uoluntarium in sua causa, ut diximus, supra de ebrietate: si autem non est excitata, sed uel naturaliter insurgit, ut accidit ijs, qui ex infirmitate infaniunt, uel insurgit ita fortis, ut ratio non possit motum insurgentem reprimere, quod accidere potest nobilibus, magna iniuria affectis, uel insurgit ita subitus, ut ratio aduertere non ualeat, ut evexit colericis, & quando violenter motis, propter coleram quae inter humores citius mouetur: qua omnia citius reddant actum inuoluntarium, a peccato excusat, ait D. Thom. i. 2. quæst. 77. artic. 7. Si uero passio insurgens non erit tanta, ut penitus rationis usum impediatur, sed potest a ratione reprimi, non erit sine peccato: uerum si dum insurgit, uoluntas ei non occurrit, quia non aduentit, erit ueniale: & quamvis dicatur quod primi motus non sunt in potestate nostra, hoc intelligitur generaliter, scilicet quod uoluntas facere nequit, ut nullus insurgat, non tamen potestatem animit, circa quemlibet singularem motum insurgentem, quem impideat tenetur: unde si inordinatè insurgit ratione peccati habebit: sed si insurgentem aduertit, & ei non occurrit, diuertendo mentem, ad aliud cogitandum, ut non sequatur actum vindictæ, uel saltene non deliberaet uendicari tunc erit mortale, quia actus deliberatus, contra ultimum finem, est peccatum mortale, ait idem autor art. 8. eiusdem questionis.

Alio modo Ira pro materiali sumitur consequenter, quando scilicet homo irascitur, per imperium uoluntatis, & in hoc, si ratio diuidicauit, & orcinavit modum vindictæ, iuris ordine seruato, passio insurgens circa cor, ad exequandam vindictam, non erit peccatum; tunc enim Ira non impedit iudicium rationis, sed potius adiuuat ab eo. Exempli gratia Voluntas, quæ est omnium potentiarum domina, cognoscens, per intellectum, malum contra se illatum, scilicet iniuriam, uel quodlibet impediens suum bonum concupitum, tristatur, ex illa tristitia mouetur, imperando irascibili, ut insurgat, per vindictam, ad repellendum illud malum, excitando illam per motum sanguinis, calore inflammat cor, ut ex illo impetu mouetur cōtra offendente: quæ omnia

Ira quando  
est peccatum.

Ira mate-  
rialiter sa-  
pta.

Dupliciter  
sumitur.  
Aduentu-  
dum.

Volunta-  
rium, & in  
voluntario  
duplex.

Ira quando  
est peccat-  
um.

Ira quando  
nō est pec-  
atum.

Colericis fa-  
bito iraſci-  
tur.

84  
Primo mo-  
tus nō sunt  
in potestate  
nostra quo-  
modo intel-  
ligitur.